



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1658**

§. 202. Vt tolleret Corpus Iesu. v. 38.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45556**

serationum tuarum miserearis & concessa in presentis scelerum venia, ne me sinas in futuro saeculo cruciari cum impijs: sed aliquam portiunculam dones cum sanctis tuis in Caelis, qui in tua membra coaptati & in te vnum corpus effecti, gratias ob tuum pro se effusum pretiosum sanguinem (quo illos lauisti) rependentes, pro te & fratribus tuis gloriosum sanguinem fundere non dubitarunt, qui te in vita sua amauerunt, vt hic S. Iosephus eleemosynis & pijs operibus, & in morte te sunt imitati, & ideo coronas triumphales meruerunt. quorum melicet imparem meritis participem tamen fac misericordia tua succurrentibus eorum meritis & precibus, Amen.

§. 202. *Vt tolleret Corpus Iesu. v. 38.*

Magnanimitas certe huius S. Iosephi claret ex eo quod audacter introiit ad Pilatum & Iudæis crucifragium postulantibus ipsum corpus Iesu petijt sibi dari, nam odium & inimicitia adeo magna erant vt non modo nemo auderet eius procurare sepulturam sed nec ore quidem Christi nomen vsurpare nemo in eius fauorem vllum verbum loqui, sed magis dicere oportebat quod legitime eum Iudæi occidissent, imo quod hic seductor populi mille alias mortes meritis fuisset. Hinc est quod dicit Evangelista Iosephum corpus Christi à Pilato audacter petiuisse. Laudatur per hoc Ioseph. quod ille, & nemo alius illi se periculo exposuerit. Cæterum hanc charitatem cito ei remuneratus est Christus si S. Gregorio Turonensi credimus qui l. i. hist. c. 21. scribit propterea apprehensum à sacerdotibus Iosephum & in carcere inclusum fuisse: sed resurgente Domino noctu parietes custodiæ in sublimi suspensas, liberam ei ad egrediendum viam fecisse, posteaque rursum parietes in pristinum locum restitutos, hic S. vir postmodum ab Apostolis missus est ad prædicandum Evangelium Iudæis, vbi multas pro Christo persecutiones tulit, ac inter cætera idem venenum pro Christi fide bibere compulsus est, sed nihil ex eo triste tulit, ac tandem eximijs virtutibus ornatus glorioso fine quieuit, eius dies festus in Romano Martyrologio celebratur 17. die mensis Martij.

**O**Ra igitur pro nobis sancte Ioseph, vt digni efficiamur promissionibus Christi. Et tu Domine Deus, qui animæ famuli tui S. Iosephi ab Arimathæa æternæ beatitudinis præmia contulisti, concede propitius, vt cuius memoriam religiose colimus, eius quoque viuendi exemplum imitemur & precibus eiusdem ac meritis æternitatis gloriam consequamur, Amen.

X

§. 203.